

De sympodia : dissertatio inauguralis medica sistens descriptionem anatomicam infantis parte inferiore monstrosi : gratiosi ordinis medicorum Heidelbergensis auctoritate atque consensu eruditorum examini submittit / auctor Carolus Georgius Langsdorff.

Contributors

Langsdorff, Carolus Georgius.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Heidelbergae : Typis Georgii Mohr, 1846.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wcn4k3pv>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>










Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 5.




Fig. 4.



Fig. 6.





DE SYMPODIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

DESCRIPTIONEM ANATOMICAM

INFANTIS PARTE INFERIORE MONSTROSI.

GRATIOSI ORDINIS MEDICORUM
HEIDELBERGENSIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

CAROLUS GEORGIUS LANGSDORFF.

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTOR.

ACCEDUNT TABULAE III LITHOGRAPHICAE.

HEIDELBERGAE.

T Y P I S G E O R G I I M O H R.

MDCCCLVI.

DE 21 M 1901.

1901

DESCRIPTION OF THE

INFANTS PARTS INTERIOR MONSTROSITY

GRATIOSO ORDINE ORDINE ORDINE

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

1901

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

RECEIVED

PATRI DILECTISSIMO

GEORGIO HENRICO DE LANGSDORFF

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IMPERATORIS RUSSORUM A CONSILIIS PUBLICIS, PLURIUM
ORDINUM SPLENDIDORUM EQUITI ET MULTARUM SOCIETATUM LITERARUM SODALI.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIETATIS TESTIMONIUM

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

OMISSISSIMO

EROGIO TERICO DE LAGSBORE

RECEIVED BY THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

BASE STUDIOS E PUBLIS

LETTERS TESTIMONY


SACRAE RESSE / OBIT

ADITIO

PROOEMIUM.

Antea quam descriptionem anatomicam infantis parte inferiore monstrosi, in Museo anatomico Heidelbergensi asservati, tibi L. B. trado, summas gratias Professori praeclarissimo et doctissimo Ill. Tiedemann ago, qui monstrum hoc humanissime offerens, scribendi auctor omnino mihi exstitit, librosque etiam libentissime commo-
davit; neque minus debeo Viro experientissimo Dr. Nuhn, Universitatis Heidelbergensis Prosectori, qui in examinando atque describendo monstro summa cum benevolentia me adjuvit.

Eos vero, qui me jam ante plures annos ad summum honoris gradum academicum pervenisse sciunt, vix necesse erit monere, neminem in Universitate Ruperto-Carola ad dissertationem scribendam esse obligatum, sed cuique licere hoc, vel seriore tempore, pro voluntate facere. Qua de causa occasionem oblatam ad hoc monstrum describendum arripui, ut rariorem hujus infantis formationem eruditorum examini offerrem, quos ut benigne accipiant oro rogoque.



CAPUT PRIMUM.

De Monstris.

§. 1.

Monstri vox derivatur a verbo monstrare¹⁾, quod quidem nomen veteres auctores inde monstris accrevisse dicunt, quia futura mala hominibus augurarentur; qua et ipsa ratione vocem graecam τέρας, quam a radice εἶρω derivandam esse dicunt, interpretantur. Jam apud Ciceronem²⁾ invenimus: „Monstra, ostenta, portenta, prodigia appellantur, quoniam monstrant, ostendunt, portendunt et praedicunt;“ et apud Isidorum Sevilensem³⁾ verba legimus: „Quae aliquid futurum monstrando homines monent.“ Prioribus temporibus tantopere vulgata erat sententia, corporum deformitates mali esse ominis, ut ipse Luther⁴⁾, quum vitulus nasceretur deformis, „dubitare non posse“ diceret, „quin talibus portentis a Deo magnae calamitates et instans rerum mutatio, quae et Germaniae immincant, significantur, neque se aliud quidquam sperare atque desiderare, quam ut sit dies extrema.“

Recentiores vero scriptores alia ratione vocem monstri interpretantur, quippe qui moneant, monstra non proferri, quae futura significant neque igitur esse „monstrantia,“ sed „monstrata,“ quippe quae sint notatione digna et omnibus temporibus, tanquam inusitata, hominum oculos in se convertant⁵⁾.

Quamquam, quatenus notio insit in voce monstri difficillimum est explicatu, tamen Haller⁶⁾ id perficere conatus est, et complures auctores, ut Faustius⁷⁾, Sachsse⁸⁾, Behn⁹⁾, Huber¹⁰⁾, qui postea eandem rem tractaverunt, parum ab illius definitione discesserunt, quam quidem ego, quum sit simplicissima, recepi. Itaque dico: monstra individua organica esse, quorum forma nativa characteri generico non respondeat.

§. 2.

Monstra eorumque causae inde ab antiquissimis temporibus philosophorum animos in se converterunt, itaque jam Empedocles, quatenus sint monstrorum causae explicare tentavit. Sententia ejus a Plutarcho nobis relata, nixa in geniturae systemate tum dominante, et in hujus rei cognitione valde imperfecta, est hypothetica;

1) Krit.-etymol. med. Lexik. von L. A. Kraus. Götting. 1844. p. 634.

2) De divinatione. Lib. I.

3) De Etymologis. Lib. II.

4) Op. Ed. Hal. Tom. XIX. p. 2416.

5) Isidore Geoffroy Saint-Hilaire. Histoire générale et particulière des Anomalies etc. avec Atlas. Paris 1832. Tom. 1. p. 42.

6) De monstris. Oper. minor. Lausann. 1762. T. III. p. 3. 4.

7) Anat. Beschreib. zweier Kälber mit doppelten Köpfen etc.

8) Diss. inaugur. med. sist. descr. infant. monstr. Lipsiae 1803.

9) De monopodibus. Diss. inaugur. Berolini 1827.

10) Observationes atque cogitationes de monstris. Cassellis 1784. 4. §. 8.

neque aliter Hippocratis¹⁾ et Democriti sententiae se habent, quas Aristoteles²⁾ nobis retulit adjuncta sua ipsius sententia hypothetica. Opinabantur tunc temporis, ipsis Diis volentibus atque efficientibus deformia corpora nasci, sive quibus gloriam atque majestatem arguerent, sive quibus irati atque infensi, monerent homines atque punirent. Ceterum quidam auctores alii alias quasdam hisce addiderunt causas.

Ab auctoribus, qui usque ad finem saeculi decimi septimi, quin etiam initio decimi octavi vixerunt, philosophorum graecorum sententias probari invenimus. Licetus³⁾, cujus opus illius temporis rationes quam maxime continet, magnum causarum numerum commemorat, quibus monstra efficiantur.

Ultimis lustris saeculi proxime praeterlapse plane novam quandam viam ingressi sunt physiologi in perscrutandis corporum deformitatibus, Hallero⁴⁾ maxime duce in dissertatione „De monstribus“ ab eo conscripta. Etenim, quum ipse hoc libello primum passim observata in unum contulisset, magis magisque apparuit, istas quoque formas ab hominum animaliumque corporibus abhorrentes, regula quadam atque lege contineri, neque libidini atque casui esse obnoxias. Magni vero etiam momenti in explicando, quomodo nascerentur monstra, id erat, quod tum primum physiologi accuratius perspicere coeperunt, quomodo omnino nascerentur atque crescerent animantia.

Quamquam, ut monuimus, philosophi et physiologi inde ab eo tempore, quo primum cognoverunt monstra, in investigandis deformitatum causis atque originibus versati sunt, tamen equidem paucis tantum varias earum explicandarum rationes indicabo, quum, quominus accuratius atque copiosius hac de re disputem, ipsa hujus dissertationis ratio ipsumque consilium me impediatur.

Omnes, quae de deformitatum corporum ortu extant sententiae, in has duas Classes describere possumus:

I. Prima eorum sententias continet, qui monstra in germinibus monstrosis praexistere contendunt. Huic quidem sententiae, qua monstra e germinibus vel ovis monstrosis oriuntur, peritissimi anatomi et physiologi assensi sunt.

Blumenbach⁵⁾, Roederer⁶⁾ et Wolff⁷⁾ hanc rationem falsam esse, satis dilucide arguerunt. Bischoff⁸⁾ in experimentis ab ipso institutis nisus, embryo inde a primis initiis male formato quasdam monstrorum formas non tam oriri posse censet, id quod ii contendunt, qui theoriae, quam vocamus evolutionis, sunt addicti, quam falso quodam habitu primordiali materiarum, nempe seminis et ovi, ad gignendum necessariarum.

Et hanc sententiam ego ita probo, ut, etiamsi certioribus quam hucusque allatis argumentis firmaretur, tamen eam minime unicam deformationum causam esse dicerem.

II. Classis altera illorum sententias continet, qui censent, germina quidem vel gignendi materias utriusque sexus normaliter esse constituta, germen vero, dum crescat, momentis quibusdam adversis esse deformatum. Haec quidem theoria secundum varias causas, quae germinis evolutionem turbant, in plures rationes dividitur.

1) Ratio quidem maxime vetusta fere est illorum, qui deformitates inde ab iis, quae vocant „Versehen“, vel ab animi motibus vehementibusque affectibus matrem turbantibus repetunt; ita ut foetum se evolventem speciem formasque assumere posse censeant, easdem vel similes earum rerum formis, quae matris animum commoverint. Cujus quidem theoriae omnium plurimi exstiterunt propugnatores, neque hac aetate desunt, qui huic sint addicti, ut Weinrich⁹⁾, Turner¹⁰⁾, Arnold¹¹⁾, Grause¹²⁾, alii.

1) De monstribus. Lib. II. cap. V. p. 68.

2) De generatione animalium. Lib. IV. cap. 3. 4.

3) De monstribus. 1616., ex recent. Ger. Blasii. Amstelod. 1665. p. 251. 252.

4) l. c.

5) Ueber den Bildungstrieb. Goetting. 1791.

6) Foetus parasit. descript. in Comment. soc. sc. Goetting. T. 4. ad Ann. 1754. p. 180.

7) De ortu monstrorum, in Nov. Comment. Ac. Petropol. T. 17. p. 570.

8) Handwörterb. d. Physiol. etc. von R. Wagner. Braunschweig 1843. T. 1. p. 892.

9) De ortu monstrorum commentarius. 1595. 8.

10) On the force of the mother's imagination upon the foetus. London 1712. et The force of the mother's imagination upon the foetus still farther considered. London 1756.

11) Gedanken v. d. Zuverlässigkeit d. Meinung: die Mutter wirke in die Bildung ihrer Frucht durch die Einbildung. Leipz. 1775.

12) Diss. de quaestione ab Acad. imper. sc. Petropol. propos., quatenam sit causa proxima, mutans corpus foetus, matris mentis a causa quadam violentiore commota? Petropol. 1756. — V. d. Wirkung u. d. Einfl. d. Einbildungskraft d. Mutter a. d. Foetus. Leipz. 1788.

Hujus sententiae adversarii exstiterunt: Roederer¹⁾, Soemmering²⁾, Zimmer³⁾, Tiedemann⁴⁾ pluresque alii physiologi.

Primus Meckel⁵⁾ in hac ratione dijudicanda duas potissimum quaestiones proponendas esse ostendit, primam hanc: „possintne animi motus matris valere aliquid, ad organismum novum evolvendum?“ alteram vero: „possintne motus animi matris, certa quadam re excitati, ita commutare novum organismum, ut in eo illius ipsius rei imago exprimatur?“

Quarum quaestionum primam affirmat, quod vehementissimae sint irritationes psychicae ipsumque matris corpus vehementissime concutiant; alteram autem cur affirmet, se rationem investigare posse negat.

Hanc sententiam, quamquam equidem quoque probo, tamen dignam esse censeo, quae ultra pervestigetur.

2) Alii physiologi corpora deformari contendebant externis quibusdam (mechanicis) causis; ut ictu, pressu, plaga, casu quae pateretur mater; vel acribus ejusdem motibus; vel impedimentis mechanicis, quae ovo per tubam Fallopii pervadenti, aut in ipso utero commoranti, organicis commutationibus harum ipsarum, vel vicinarum corporis partium obstarent. Hisce alias inusitatas ipsius ovi rationes, nimiam vel justo minorem liquoris amnii multitudinem, arctiorem foeti locum, praesertim cum gemini extarent, addiderunt. Denique vel morbosas commutationes, ut coalescentias, pseudomembranarum formationes atque alias, mechanicis tantum impulsibus deformitates quam maxime efficere opinabantur.

Quam quidem rationem qui probarent et antiquissimis temporibus exstiterunt et hac ipsa aetate exstant, quorum e numero sunt: Hippocrates⁶⁾, Licetus⁷⁾, Superville⁸⁾, Siegwart⁹⁾, Huber¹⁰⁾, Platner¹¹⁾, Boerhaave¹²⁾, Geoffroy Saint-Hilaire¹³⁾, Isidore Geoffroy Saint-Hilaire¹⁴⁾, alii. Adversarii autem illius sententiae exstiterunt: Duverney¹⁵⁾, Winslow¹⁶⁾, Wolff¹⁷⁾, alii auctores. Etiam Meckel¹⁸⁾ refutat hanc theoriam, et affirmat: „se formationem anomalam e mechanicis causis ortam minime posse arguere.“ Tiedemann¹⁹⁾ contra dicit: „negari non posse, in quibusdam casibus deformia embryonum membra e mechanicis laesionibus orta esse.“ Cui sententiae Professoris literis artibusque illustrissimi assentior, credo tamen, mechanicas causas esse rarissimas, quae deformitates embryonum efficiant; numerosis casibus, qui ab hujus theoriae defensoribus afferuntur, multo major quidem copia talium opponi potest, ubi sub similibus rationibus infantes sani nati sunt.

Theoria de causis mechanicis, quae corporum deformitates efficiant, e parte aliam involvit, quae a pluribus auctoribus ab una parte illustrata est; ex qua sententia elucet: morbos foetus praecipuas esse causas monstrorum. Inter auctores recentiores praecipue Otto²⁰⁾ generalem auctoritatem hujus originis monstrorum defendit. Bischoff²¹⁾ autem: „fieri non potest“ inquit, „ut processus pathologicos, tanquam generaliter efficientem causam omnium corporum deformatum consideremus, quae ut ceterae causae in singulos certosque casus coercenda est,“ quae sententia mihi etiam recte se habere videtur.

1) Diss. de vi imaginationis in foetum negata. Petropol. 1756. et in Opusc. p. 105.

2) Abbild. und Beschreib. einiger Missgeburten. Mainz 1791. Fol. p. 32.

3) Physiologische Untersuchungen über Missgeburten. Rudolstadt 1806.

4) Anatomie der kopflosen Missgeburten. Landshut 1813. p. 100. §. 88.

5) Handbuch der pathol. Anatomie. Leipzig 1812. T. I. p. 41.

6) De monstris. Lib. 2. Cap. 5. p. 68.

7) l. c.

8) Phil. Transact. n. 456.

9) Tripes Heiterbacensis. Tübing. 1755. 4.

10) De monstris. Cassellis 1748.

11) Diss. de thoracibus. Lips. 1755. §. 3. 4.

12) Historia anatomica infantis, cujus pars corporis inferior monstrosa. Petrop. 1754. 4.

13) Mém. de la société médic. démulation. T. IX. 1826. — et Dict. class. d'histoire nat. T. XI. p. 126 et 146.

14) Hist. générale et partic. des anomalies etc. T. III. Paris 1836. p. 532. §. III.

15) Mém. de l'Acad. des Sc. Ann. 1706.

16) Mém. de l'Acad. des Sc. Ann. 1733. 1734.

17) Nov. Comment. Petropol. Tom. 17. p. 540.

18) Path. Anatomie. Leipzig 1812. T. I. p. 29.

19) l. c. p. 101.

20) Monstrorum sexcentorum descriptio anatomica. Vratislavia 1841. p. 15.

21) Handwörterb. der Physiol. v. R. Wagner. p. 892.

Studio historico de evolutione progressu, quo magis embryonis formatio organorumque ejus cognita fuit, intellectum est: plurimis corporum deformitatibus quosdam evolutionis gradus exhiberi, in quibus formatio sistebatur, aut inde secundum typum ultra se non evolvit. C. F. Wolff¹⁾ primus animum physiologorum ad hanc monstrorum originem advertit. Multi recentiores scriptores summa cum industria in hanc deformitatum originem inquisiverunt, et evolutionem foetus variis graviditatis mensibus, aut singulorum organorum ejus, magna cum diligentia persecuti sunt, quo facto hanc sententiam de monstrorum origine confirmaverunt. Auctores hujus scientiae partis sunt: L. B. Pagliai²⁾, Tiedemann³⁾, Meckel⁴⁾, Geoffroy St. Hilaire⁵⁾, Th. Bischoff⁶⁾, v. Bär⁷⁾, Arnold⁸⁾, alii.

§. 3.

Monstrorum classificatio multas praebet difficultates, quod etiam multa systemata proposita arguunt. Mox vero necessitas talis systematis se ostendit, quo propter magnum deformitatum numerum, facilior et melior conspectus fieret. Systema a Liceto⁹⁾ propositum, unum ex antiquissimis, est defectivum, respondetque tempori quo exstitit. Jam meliora, quamvis imperfecta, sunt systemata proposita a Huber¹⁰⁾, Malacarne¹¹⁾ et Voigtel¹²⁾.

Buffon¹³⁾ monstrorum classificationem simpliciorum reddidit, et in ejusdem systematis divisione plurima serioris aetatis systemata sunt fundata. Monstra in tres nempe classes distribuit.

Class. I. Monstra per excessum.

— II. Monstra per defectum.

— III. Fabrica aliena vel situs mutatus.

A qua divisione parum systemata differunt, quae exposuerunt: Blumenbach¹⁴⁾, Bonnet¹⁵⁾, Meckel¹⁶⁾. Atque etiam Treviranus¹⁷⁾, Otto¹⁸⁾, Geoffroy Saint-Hilaire¹⁹⁾, ejusque filius Isidore Geoffroy Saint-Hilaire²⁰⁾ et alii auctores proprias classificationes proposuerunt, e quibus duae postremae ad celebritatem quandam pervenerunt, quoniam methodum, quam vocant naturalem historicam ad monstra adhibent. Ad classificationes monstrorum recentissimas pertinent, quas Chaussier et Adelon²¹⁾, Otto²²⁾, Bischoff²³⁾ et Vogel²⁴⁾ proponunt.

Equidem sequor sententiam Viri clarissimi Bischoff, qui mihi elementa anatomiae pathologicae primus tradidit, qui caractere anatomico ad monstrorum divisionem utitur, quae in tres classes dividit, in universum iis similes, quas Buffon et Blumenbach exposuerunt, sed in sententia exponenda vario modo ille ab his discedit. Classes ordinesque hujus systematis hic refero, sed solum speciem hujus ordinis, cui monstrum in hac dissertatione expositum adnumeratur.

1) Nov. Commentar. Petrop. T. XVII.

2) Conclus. Physico-medicae, quas sub auspiciis Antonii Vallisneri Anno 1725 Leo Bernardus Pagliai exposuit. Vallisneri Op. Fisico-Medice. Venetia 1733. Tom. 3. p. 631.

3) l. c. p. 103.

4) Beiträge zur vergleich. Anat. B. I. H. 2. p. 158.

5) l. c.

6) l. c. p. 893.

7) Entwicklungsgeschichte der Thiere. T. 1. 1828.

8) Lehrb. d. Physiolog. d. Mensch. Zürich 1842. T. II. Abth. 3.

9) De monstris. Amstelodami 1665. Lib. I. Cap. XIII. p. 48.

10) De Monstris. Cassellis 1748. p. 9.

11) Dei mostri humani. Mem. della soc. ital. V. IX. p. 49—84.

12) Handbuch der pathol. Anat. Halle 1805. T. III. p. 574.

13) Histoire naturelle, Supplement IV. p. 578.

14) Handbuch der Naturgeschichte. Ed. 5a. p. 20.

15) Considérations sur les corps organisés. Tom. III. p. 20—23.

16) Handb. d. path. Anat. T. I. p. 44. — De duplicitate monstrosa. Comment. p. 2.

17) Biologie. T. III. p. 425.

18) Lehrb. d. pathol. Anat. T. I.

19) Philosophie anatomique. Paris 1822. T. II. p. 77. et Mém. du Museum. T. VII. p. 85.

20) Hist. gén. et part. des Anomalies. Paris 1832. T. I. p. 97.

21) Chaussier et Adelon. Dict. des sc. médicales. T. XXXIV. p. 156.

22) Monstrorum sexcentorum descriptio anatomica. Vratislavia 1841.

23) l. c. p. 901.

24) Pathologische Anat. des menschl. Körpers. Leipzig 1841.

CLASSIS I.

Monstra deficientia. (Missbildungen, denen zur Realisation der Idee ihrer Gattung etwas fehlt).

Ordo I. Monstra deficientia sensu strictiore.

— II. Monstra per parvitatem partium.

— III. Monstra per symphysin s. coalitionem partium.

Spec. 1. Cyclopia, Monophthalmus; monstra cum uno solo oculo vel utroque coalito in fronte sito, quae deformitas omnes fere symphyseos gradationes utriusque oculi in unicum percurrit. Nares deficient, quarum loco plerumque proboscis invenitur. Os cribriforme, ossa nasalia, lacrymalia, conchae, os vomer, ossa intermaxillaria, saepe etiam ossa maxillaria superiora, palatina et processus pterygoidei desunt; pars cerebri anterior semper imperfecte evoluta est.

Spec. 2. Monotia s. Agnathus s. Otocephalus. Utraque auris infra cranium plus minusve prope accedit et denique secum coalescit. Maxilla inferior deest; ossa maxillaria superiora, zygomatica, palatina atque processus pterygoidei aut item deficient, aut imperfecte sunt evoluta; os est valde parvum aut omnino deest.

Spec. 3. Monopodia, Sirenum formatio (Sympodia. Levy.) Singulae partes extremitatis utriusque inferioris, plus minusve perfecte evolutae, inter se coalitae sunt. Pelvis, organa generationis et organa uropoetica aut deficient, aut sunt imperfecta; nec vero unquam anus reperitur.

Spec. 4. Syndactylus. Manuum et pedum digiti plus minusve imperfecte diremti sunt.

Spec. 5. Symphysis s. coalescentia renum, testium aut ovariorum.

Ordo IV. Monstra per atresiam.

— V. Monstra per fissuras alienas.

CLASSIS II.

Monstra abundantia. (Missbildungen, die etwas mehr besitzen, als ihnen der Idee ihrer Gattung nach zukommen sollte.)

Ordo I. Monstra per excessum singularum partium, quorum caput vero simplex et truncus.

— II. Monstra per coalitum duplicia.

— III. Monstra per implantationem duplicia.

— IV. Monstra triplicia. (Trigemina. Vogel.)

CLASSIS III.

Sabrica aliena et situs mutatus Auctorum. (Missbildungen, deren Organisation der Idee ihrer Gattung nicht entspricht, ohne dass ihnen hierzu etwas fehlte, oder sie etwas zu viel besäßen.)

Ordo I. Situs mutatus.

— II. Monstra ab organorum forma declinantia.

— III. Varietates in ortu arteriarum et venarum.

— IV. Hermaphrodites.

Ex huius systematis divisione monstrum, de quo in hac dissertatione disputo, ad primam adnumeratur classem, ad tertium ordinem atque speciem tertiam.

Characterem ordinis monstrorum per symphysin repraesentat symphysis et coalitio organorum, quae in statu naturali semper duplicia et a se diremta sunt, sed character speciei tertiae hujus ordinis semper e symphysi dimidia partis corporis inferioris constat. Coalitio extremitatum inferiorum aut earum symphysis ad rariores corporis deformitates pertinet, et monstrositas hoc in casu semper non solum extremitates amplectitur, sed etiam abdominis viscera, praecipue inferiorem intestinorum partem, organa generationis, et uropoëtica. Quae deformitas etiam magni est momenti, quia, ut ex plurimorum anatomorum et physiologorum experientia elucet, solum generi humano propria est, et adhuc apud bestias nunquam, nisi apud gemellos inventa est. Quare haec monstra praecipue thesin ab Hunter¹⁾ prolatam probare possunt: „quibusdam nempe animalibus certas quasdam deformitates praecipue et proprie occurrere,“ quod etiam Meckel²⁾ confitetur.

Haec species etiam a Bischoff: „Monopodia vel Sirenum formatio“ nominatur. Monopodiae nomen jam Dieckerhoff³⁾ et Meckel⁴⁾, qui primus perfectam monstrorum hujus generis descriptionem statuit, illis tribuit.

Monopodiae vox (α μὀνος et ποὺς) etiam adhibetur, ad talia monstra significanda, quibus aliqua extremitas deest, quare Levy⁵⁾ illis, quae ad nostram rem pertinent „Sympodiae“ nomen dedit. Eadem de causa etiam Isidore Geoffroy Saint-Hilaire⁶⁾ his monstris novum nomen dedit, quod nomenclaturae ipsius systematis respondet, eaque nominat: „Monstres Syméliens.“

Monstrum sireniforme sive Sirenum formatio, nomen est, quo jam auctores priorum temporum utebantur et quod Otto⁷⁾ et Hüesker⁸⁾ aptius esse putant, quam Monopodiae nomen, quod e causa jam prius memorata repudiant. Isidore Geoffroy Saint-Hilaire⁹⁾ contra in ipsius systemate nomen „monstrum sireniforme“ tantum monstris hujus speciei maxime deformatis attribuit, quibus coalitae extremitates inferiores valde imperfectae sunt et in truncum vel apicem transeunt, cui pes deest, quia haec monstra solum miram figuram praebent, quam poëtarum phantasia Sirenibus in fabulis addidit, cujus figurae Horatius¹⁰⁾ in versu satis cognito mentionem facit:

„Desinit in piscem mulier formosa superne.“

Quam opinionem illius Professoris Parisiensis peritissimi rectam habeo, sed in significandis monstris perfectioribus hujus speciei sententiae a Levy¹¹⁾ propositae assentior, quippe qui nomen „Sympodiae“ his tribuat.

Externa horum monstrorum forma, ut jam dixi, non semper est plane una eademque. Plerumque hanc normam observare licet, quod:

1) Extremitas simplex, si structuram et situm respicis, ad legem symmetricam disposita est, ita ut ejus axis corporis axi respondeat.

2) Quod extremitates non solum coaluerunt, sed etiam circum axem suum ita se rotasse videntur, ut pars flexoria ad anticum, pars extensoria ad posticum versa sit. Quare etiam extremitates coalitae semper ad anticum concavae, ad posticum convexae sunt.

Secundum varios gradus, per quos haec monstra in statum normalem transeunt, tres species Meckel¹²⁾ proposuit.

I. Formatio imperfectissima.

Utraque extremitas coalita in formatione imperfectiore jam externo aspectu magis imperfecta est, quam una sola extremitas normalis. Non solum multo brevior est, sed etiam in monstris imperfectissime formatis in apicem

1) Bemerkungen über die thierische Oekonomie, aus dem Englischen von Scheller übers. Braunschweig 1802. p. 83.

2) Archiv für Anat. und Physiol. 1826. Ueber die Verschmelzungsbildungen. p. 309.

3) De Monopodia Diss. Halae 1819.

4) Arch. I. c. p. 273—310.

5) De Sympodia. Comment. Hauniae 1833. p. 40.

6) I. c. T. II. p. 237.

7) Monstrorum sex humanorum anat. et physiol. disquisit. Francof. 1811.

8) De vitiis syngenetis. Diss. inaug. Gryphae 1841. p. 17.

9) I. c. p. 238.

10) De arte poëtica. Vers. 4.

11) I. c. p. 40.

12) Archiv. I. c. p. 238.

terminat, et plures extremitatum partes desunt. Saepissime pars tantum pelvina, femur et crus imperfectum reperitur.

II. **Formatio perfectior.**

Forma perfectior jam ad formationis normalis similitudinem accedit, cum extremitates inferiores coalitae e majore similium partium numero compositae sunt, quam singularis extremitas inferior. In imperfectiore quidem forma, femora coalita extremitatum inferiorum pluribus musculis, vasis et nervis duplicibus munita reperiuntur, sed multae partes etiam desunt, et illorum infima pars ad summum, idque rarum tot digitos habet, quot singularis extremitas inferior, quae ad normam est instructa.

III. **Formationes, quae a monopodia ad normalem formationem transeunt.**

Extremitates inferiores normalem formam praebent; anus autem semper deest et plerumque pelvis est angustata. Simplex ani atresia igitur una est via, sola extremitatum distorsio altera, quibus illae formationes maxime abnormes ad normales transeunt.

Isidore Geoffroy Saint-Hilaire¹⁾ monstrorum familiam quam vocat: „Monstres syméliens“ in haec tria genera dividit:

- Gen. I. Symèle, Symeles. Utraque extremitas inferior coalita pene perfecta in pedem duplicatum desinit, cujus planta ad anticam partem spectat.
- Gen. II. Uromèle, Uromeles. Utraque extremitas inferior coalita valde imperfecta desinit in pedem simplicem, semper fere aequè imperfectum, cujus planta ad anticam spectat.
- Gen. III. Sirénomèle, Sirenomeles. Utraque extremitas inferior coalita quam maxime imperfecta, terminat in truncum vel apicem pede distincto carentem.

His vero quartam speciem addendam esse putat, quae minus abnormitatum offerret quam tres priores, cui speciei monstra esse adnumeranda censet, quorum extremitates inferiores solum ad genu usque coalitae sunt. Haec deformitas est rarissima, unum tamen casum Majer²⁾ descripsit, alterum imperfectiorem huc pertinentem Naudin³⁾ exposuit.

§. 5.

Quum auctoribus usque ad initium seculi millesimi octingentesimi fabulosam monstrorum originem placuisse invenias, iis, qui usque ad seculum millesimum septingentesimum vixerunt Graecorum et Romanorum leges, quibus monstra vita privantur, probari non miraberis. Riolan⁴⁾, quum monstra minus quidem deformia vita privanda esse non censeret, ea, quae ad Diaboli imaginem creata essent, semper includenda et occultanda esse addit; alia vero brutis quam hominibus similiora, quum naturae et generi humano facerent injuriam statim interficienda esse arbitratus est. Inde a medio seculo millesimo septingentesimo mitiores leges hisce miseris animantibus datae sunt. Denique mihi id etiam medico forensi notandum videtur, quod quum pleraque monstra, sive ante justum tempus edita, sive justo tempore, mortua nascerentur; hujusce generis monstra omnia, quamvis viventia ad lucem prodierint, tamen brevi tempore extremum spiritum hauriunt.

1) l. c. T. II. p. 238.

2) Diss. inaugur. med. de foetu humano Monopodio. Tübingae 1827.

3) Journal génér. de médecine. T. LX. p. 342.

4) De monstro nato. Lutetiae a. D. 1555.

LITERATURA.

- HARTMANN, Phil. Jac. Anatome monstri, in Ephem. academ. nat. curios. Dec. II. ann. X. obs. 162. p. 258 — 262. 1691.
- DU CAUROY. Lettre dans le Journ. des Sav. 1696., et Coll. acad. T. VII. p. 27.
- HOTTINGER, J. H. De monstro humano absque sexu, pedibus etc. in Ephem. nat. cur. Dec. III. ann. X. obs. 233. p. 413.
- DE SUPERVILLE, Daniel. Philos. transact. 1740. Nr. 456. p. 302.
- SCULTET. Armamentarium chirurgicum. Amsterdam 1741. T. I. p. 138.
- BASTER, Joh. Philos. trans. 1750. T. 46. Nr. 495. p. 479.
- SUE. l'Histoire de l'Acad. des sc. pour 1746. p. 42.
- HOFER, J. observatio monstri hum., in act. Helvet. Vol. 3. Basileae 1758. p. 366.
- BOERHAAVE, Abr. Kaau. hist. anat. infantis, cujus pars corporis inferior monstrosa. Petropoli 1754. Ejusdem historia altera etc. Petropoli 1757.
- REGNAULT. Ecarts de la nature. Paris 1775. pl. 1.
- ROSSI, F. J. A. Diss. inaug. sistens foetus monstri Holmiae nati. Jenae 1800. cfr. Isenflamm und Rosenmüller's Beiträge für die Zergliederungskunst. Leipzig 1800. p. 310.
- OTTO. Monstrorum hum. sex. anat. et path. disquis. Francof. 1811. p. 33.
- BLUMENBACH. de anomalis et viliosis quibusdam nisus formativi aberrationibus. Götting. 1813. T. I. p. 7.
- SACHSE, Chr. David. Diss. inaug. med. sist. descr. inf. monstr. Lipsiae 1803.
- RIBKE. Sammlung anatomischer Praeparate. Berlin 1819.
- VILDIEU. Bull. des sc. méd. T. XVI. p. 395. — Biblioth. med. ann. 1819. T. I. p. 387.
- DIECKERHOFF. De Monopodia diss. inaug. Halae 1819.
- MECKEL, J. Fr. Ueber die Verschmelzungsbildungen, im Archiv für Anat. und Phys. 1826. p. 273.
- SACHERO. Descr. d'un neonata mostruoso, in Annali univ. di medic. T. 55. p. 95. et Bull. des sc. médic., T. 22. p. 206.
- CRUYEILHIER, Note sur un cas de monopodie, dans le Journal des progrès et institut. médic. T. VIII. p. 254. et Journ. analytique de méd. Nov. 1827. et Anat. path. Livr. 33. pl. 5. 6. — Livr. 40. pl. 6.
- MAJER, F. Th. Diss. inaug. med. de foetu hum. monopodio. Tübingae 1827.
- BEHN, H. J. De monopodibus. diss. inaug. Berolini 1827.
- SWITZER in J. D. Herboldt: anatomisk Beskrivelse over fem menneskelige Misfostre. Kjøbenhavn 1829. 3die Jagttagelse. p. 26. — Det kong. danske vidensk. selsk. afhandlingene. T. VI.
- KÖHLER. diss. inaug. sist. descr. monstri hum. monopodis. 4. Jenae, 1831.
- LEVY, M. M. De Sympodia. Comment. Hauniae 1833.
- ISIDORE GEOFFROY SAINT-HILAIRE. Histoire générale et particulière des anomalies. T. II. Paris 1836. p. 237.
- NAUDIN. Journ. génér. de médecine. T. 55. p. 342.
- OTTO. Monstrorum sexcentorum descr. anat. Vratislav. 1841. fol. p. 153.
- HÜESKER, B. W. De vitiis syngeniticeis. Diss. inaugural. Gryphiae 1841.
- BISCHOFF, Th. Entwicklungsgeschichte, mit besonderer Berücksichtigung der Missbildungen; im Handwörterbuch der Physiologie von Dr. Rud. Wagner. Braunschweig 1843. V. I. p. 860.
- VOGEL, Jul. Pathologische Anatomie des menschl. Körpers. Leipzig 1845. p. 456.

CAPUT SECUNDUM.

**Descriptio anatomica infantis parte inferiore monstrosi,
in Museo Heidelbergensi asservati.**

§. 1.

Hoc monstrum Museo anatomico Heidelbergensi Dr. Stehberger Physicus Manheimensis obtulit, cujus liberalitati gratiam referimus. Parentes illius, cives Manheimenses, mercenarii non opulenti, neque vero rebus vitae necessariis carentes, valetudine bona fruuntur. Mater viginti sex annos nata, infantem sanum et bene formatum ante plures annos genuerat, sed IV Nonas Julias anni praeteriti, post graviditatem casu adverso haud perturbatam, sine ulla difficultate infantem monstrosum mortuum edidit, quem nunc descripturus sum.

Hic infans monstrosus, superiorum corporis partium evolutionem perfectam contemplanti, justo tempore natus esse videtur, id quod corporis forma, mensura et pondus confirmat. Jam singula indicabo secundum mensuram Parisiensem, pondusque medicinale.

Longitudo a vertice ad finem extremitatum inferiorum coalitarum	1'4''3'''
" " " ad umbilicum	9''2'''
" ab umbilico ad finem extrem. infer. coalitar.	7''1'''
" a symphysi " " " " " " " " " " " " " " " " "	5''6'''
Latitudo partis superioris extrem. infer. coalitarum	2''9'''
" inter humeros	4''4'''
Pondus infantis monstrosi	ÆV.

Caput crinibus bene munitum, et magnitudine et forma, ad naturae rationem formatum est, ut in maturo infante recenter nato. Palpebrae, oculi, nares, os, palatum durum et molle perfecta atque normalia, aures externae cartilagineae item ad regulam formatae sunt. Collum est normale, pectus latum, torosum; mamillae sunt elevatae. Abdominis pars superior a norma non declinat, ejus pars inferior autem gracilior, magis contracta, angustior ad ilia, sensim coarctata usque ad finem extremitatum inferiorum coalitarum. Funiculus umbilicalis justo loco exstat, duo tantum vasorum ostia praebet. Quo loco in statu corporis normali symphysis ossium pubis observatur, prominentia sentitur ossea; genitalia externa desunt; anus non est perforatus, quo loco autem aperiri deberet, scrobiculus illius loco animadvertitur. Extremitates superiores penitus bene formatae sunt, excepto deficiente digito medio manus dextrae ejusdemque osse metacarpi, quam ob causam inter ossa metacarpi digiti indicis et annularis solito majus interstitium exstat. Utraque extremitas inferior ita in unum coaluit ut in superficie nullum diremptionis vestigium cognosci possit; quae extremitates coalitae a pelvi ad pedes processum pyramidalem, a fronte et a tergo compressum, atque satis musculosum formant, cujus basis pelvim versus spectat. Patellae, locum consuetum non obtinentes, extrorsum versae, altera dextrorsum, altera sinistrorsum luculenter apparentur. In fine inferiore extremitatum coalitarum pedes imperfecte formatos conspicias, qui ad illarum superficiem anteriorem ad moveri, sed tantum non abduci possunt, cum coalitis extremitatibus angulum

rectum forment; pes dexter duorum tantum digitorum vestigia exhibet, pes sinister trium, ita tamen, ut vix ungues conspiciantur, neque vero digiti diremti adsunt; qui uterque pes imperfecte formatus duplicatura integumentorum corporis communium secum coalitus est.

§. 2.

Disquisitione habitus externi facta, cavo thoracis et abdominis per cruciatam incisionem aperto, arterias massa cerea rubra per aortam Dr. Nuhn injectit; quo facto et apertis pleurae saccis, pulmones collapsos atque omni aëre vacuos reperimus; trachea, oesophagus, glandula thymi et cor, cujus foramen ovale apertum, pariter ut ductus arteriosus Botalli, usitatas conditiones offerunt, quemadmodum costae, sternum atque tota columna vertebralis.

Viscera abdominis contra plures abnormitates praebent, quae ad organa chylopoëtica, uropoëtica et genitalia referendae sunt.

1) Organa chylopoëtica. Hepar, ponderis unciae cum dimidia, pancreas, lien, omentum valde exigua sunt; sicut ventriculus, praeterea solito magis perpendiculariter positus; intestinum tenue, sex pedes octoque pollices longum, ad naturae rationem dispositum est; quo loco autem in priori statu foetali intestina cum vesicula umbilicali communicant, diverticulum pisi magnitudine animadvertis, undecim pollices distans a loco, quo intestinum tenue coecum intrat. Colon, quatuordecim pollices longum, meconio repletum, et ejusdem processus vermiformis situ formaque a consuetudine non declinat, quo loco autem colon descendens in intestini crassi partem, quam S. Romanum nominamus transire deberet, in saccum coecum bulbiformem, in abdomine fluctuantem terminat, qui totius intestinorum tractus est finis; vestigia S. Romani et intestini recti non reperiuntur.

2) Organa uropoëtica, ut vesica urinaria, renes, ureteres, eorumque vasa omnino desunt; glandulae suprarenales, solito majores, locum naturae convenientem occupant, capsulas vero, materia molli rubro-fusca repletas, formant.

3) Uterque testis ejusque epididymis, vas deferens et gubernaculum Hunteri, quae partes ad naturae rationem constructae sunt, in abdominis cavo jacent. Gubernacula Hunteri canalem inguinalem intrant, vasa autem deferentia ad pelvim tendunt, ubi in corpus compressum et rotundum, octo linearum diametro concurrunt, quod corpus e permagno vesicularum numero constans, situm est loco, quo in statu naturali vesica urinaria invenitur.

§. 3.

Priusquam musculorum extremitatum inferiorum coalitarum dispositionem tibi ante oculos pono, aptum videtur, ossium formam et conjunctionem, quae scilicet a norma maxime declinant, exponere, ut facilius deformitates ad musculos pertinentes intelligas.

In superiore sceleti parte usque ad vertebra lumbalem quintam nihil memoratu dignum invenimus, excepta manu dextra deformata, cujus os metacarpi digiti mediï et ossa ejusdem digiti plane deficiunt.

Pelys maximopere est deformata, qua de causa singula ejusdem ossa separatius consideranda sunt. Os sacrum, quamquam ex justo vertebrarum spuriarum numero constat, quibuscum os coccygis est conjunctum, tamen superficiei anterioris directio a promontorio ad coccygem non est concava, ut normae convenit, sed superficiem convexam et arcuatam foraminibus sacralibus munitam format, quae in faciem convexam ossis coccygis, apice retrorsum spectantis, continuat. Superficies posterior ossis sacri pariter faciem arcuatam, in concavam ossis coccygis continuantem, format. Processus spinosus vertebrae lumborum quintae, et arcus vertebrarum spuriarum a processibus spuriiis formati, sunt cartilaginei et tam molles, ut omnes, quum ligamenta faciei posterioris ossis sacri tolleremus, solverentur. Utraque facies auricularis ossis sacri, ligamentorum ope iisdem faciebus ossium ilium conjuncta est. Ossa ilium, justae magnitudinis, ad normam cum osse sacro conjuncta sunt, alae vero illorum sunt planae et ita retrorsum versae, ut earum superficies interna in anticam, externa autem in posteriorem mutata sit. Corpora ossium ilium inter se accedunt et cum corporibus ossium ischii et pubis ita se conjungunt, ut acetabula bene formata exstent, quarum aperturae vero omnino infra spectant, quum protuberantiae in regione acetabulorum interna, quae intra cavitatem pelvis minoris esse solent, ad superum versae sint. Ex quo elucet, ossa pelvis ita

inter se coalita esse, ut utrumque acetabulum fere se tanga, cujus facies posterior cum ramis horizontalibus ossium pubis coalita, planitiem ovalem format, in cujus parte anteriore cavitas parva exstat, in qua foramina obturatoria deorsum descendunt. Margo posterior hujus faciei ovalis usque ad os sacrum se extendit, quo loco angusta tantum fissura ad vasorum et nervorum transitum invenitur; quae fissura aliquot lineas deorsum extenditur et inter os coecygis et superiores partes femorum coalitorum terminat. Haec fissura loco pelvis minoris exstat, et ex eadem etiam nervi ischiadici coaliti serius descripti exeunt. Rami descendentes ossium pubis, rami ascendentes ossium ischii eorumque descendentes ita inter se coaliti sunt, ut in parte anteriore et inferiore superficiei ovalis descriptae pectinem vel rostrum forment, quod rostrum a symphysi ossium pubis deorsum, tumque inter capita ossium femorum coalitorum retrorsum et sursum extenditur, ita ut nullum vestigium arcus pubis reperiatur. Capita ossium femorum sunt diremta et ligamenta capsularia femoris normalia, sed femora extrorsum sunt rotata eorumque partes superiores fere usque ad corpus medium inter se ita coalitae, ut in facie anteriore protuberantiam e trochanteribus minoribus coalitis formatam conspicias; in facie vero posteriore inter femorum capita, tuber satis magnum e trochanteribus majoribus coalitis formatum, invenias. Pars inferior ossis femoris dextri magis extrorsum rotata est, quam in sinistro latere, quare illius condylus internus extrorsum fere et patella retrorsum spectat; in sinistro vero condylus externus antrorsum et patella extrorsum spectat. Partes infimae ossium femorum se tangunt, sed non sunt coalitae. Ligamenta patellae et ligamenta capsularia genuum ad naturae rationem formata. Tibiarum positio respondet ossium femorum positioni, ita ut malleolum internum in dextro latere magis extrorsum rotatum, quam in sinistro reperiatur. Fibulae tota longitudine coalitae sunt, et os unicum in extremis munitum capitulis formant, quae capitula utrique ossi tibiae faciem articulare, ligamento capsulari munitam, praebent. Ossa astragali et calcanei utriusque pedis in massam unicam coaluerunt, cujus faciei superiori et anteriori ossa navicularia adhaerent. Ceterum in pedis dextri tarso quinque ossicula, in tarso vero pedis sinistri sex invenis, quorum forma non tam expressa est, ut illis nomen imponi possit. Ossa metatarsi sic disposita sunt, ut in pede dextro duo, in sinistro autem tres extent, quorum quae in utriusque pedis extrema parte sita sunt, hallucibus adnumeranda sunt, altera ossa metatarsi vero digitis secundis, atque os metatarsi tertium pedis sinistri digito tertio ejusdem pedis adnumerandum est. Phalanges primae digitorum normaliter constructae sunt, phalanges vero secundae et tertiae non satis ossificatae.

Ossa metatarsi tertii, quarti et quinti pedis dextri et ossa metatarsi quarti et quinti pedis sinistri cum phalangibus omnino desunt.

§. 4.

Paniculo adiposo sub cute ubique sat denso et fasciis dissectis, musculi apparent, quorum formatio et dispositio in superiore corporis parte naturae respondent; in extremitatibus vero inferioribus coalitis musculi, quamquam plerique adsunt, situ tamen inversi sunt. Ceterum, ut eorem dispositionem melius intelligas, primum anteriorem, dein lateralem et tum posteriorem faciem contemplemur, ita tamen, ut superficies anterior et posterior semper de corporis trunco, nec de inversione ipsorum ossium femoris intelligenda sit, quorum inversionem musculi ita secuti sunt, ut, si utrumque os femoris ad anteriora et interiora rotares, musculorum directio et insertio fere normalis esset.

1) Uterque musculus psoas et iliacus internus nihil notatu dignum ostendit; uterque vero musculus psoas minor, ut saepius etiam in corporibus optime formatis, deest. Exceptis his musculis, in pelvis cavitate fasciis tantum obducta, alios musculos non conspicias; etiam eos, qui e pelvi oriri et ad ossa femoris tendere solent, distinguere non potuimus. Fascia lata, naturali densitate praedita, uno continuoque involucre femora concreta ubique circumdat, qua remota statim in utroque femore duos musculos longos, magna adipis copia circumdatos, conspicias, e quorum origine, forma, insertione elucet, unum musculum anteriorem gracilem, alterum lateralem sartorium habendum esse. Musculis his ablatis, si a parte media externam versus progredimur, in utroque femore tres adductores normales invenimus, longum, brevem, magnum. In exteriori musculi adductoris longi parte utrumque musculum pectinatum plane normalem, et denique in ejus margine superiore atque exteriori, tendines musculorum psoarum et iliaci interni ad trochanterem minorem tendentes, observas. Musculus rectus femoris in sinistra parte etiam conspicitur, quia femur hujus lateris minus retrorsum rotatum est, quam femur in dextera situm.

Inter superiores tibiae partes musculus flexor digitorum communis et musculus flexor hallucis longus utriusque cruris inter se coaliti collocati sunt, quorum tendo communis in regione condylorum internorum in partes duas, angulum rectum inter se formantes, divisus est; quae tendinis partes ad digitos tendunt, et quemque digitorum tendine musculo lumbricali praedito muniunt. Ablatis his musculis musculos tibiales posticos, justo loco orientes et ossiculis tarsi inserentes, invenimus, inter quae ossicula et inter ossa metatarsi denique musculus extensus est, quem musculum coalitum adductorem hallucis habemus.

2) Superficies extremitatis inferioris lateralis. In suprema femoris parte musculos glutaeos, maximum, medium, minimum, et musculum tensorem fasciae latae secundum naturam reperimus; quo musculo tensore cum fascia ablato musculus quadriceps apparet, cujus capitum origo, insertio atque fibrarum decursus ostendunt, musculos esse rectum femoris, vastum externum et internum atque cruralem, qui tendini communi extensorum cruris se inserunt. Hic quidem tendo superiori patellae circumferentiae ejusdemque faciei anteriori ad normam inhaeret; uterque vero musculus vastus externus solito major est. In latere interiore musculi recti femoris musculus sartorius, et in ejus parte superiore atque interiore musculus iliacus internus e pelvi procedit, et ad trochanterem minorem tendit, quos musculos jam commemoravimus.

In superiore cruris parte musculus tibialis anticus et musculi peronaei coaliti, longus et brevis, justo loco orientes nobis occurrunt; quorum tendines, quamquam consueto loco se inserunt, tamen in decursu, ob ossium tarsi deformationem, eorumque situm mutatum, a norma declinant. Tendo enim musculi tibialis antici circum inferiorem tibiae partem circumflectitur, tumque justo loco se inserit; tendo autem peronaeorum coalitorum, postquam ligamentum laciniatum externum transiit, quod in superficie posteriore extremitatum coalitarum jacet, in ossiculis tarsi se inserit. His musculis ablatis, musculum peronaeum tertium s. parvum, justo loco orientem et in tarso se inserentem, reperimus itemque musculum extensorem digitorum communem longum, et musculum extensorem hallucis longum, quorum tendines inferiorem tibiae partem circumeunt justoque loco se inserunt; etenim tendo musculi extensoris digitorum communis tantum duos ramos, alterum ad digitum secundum, alterum ad digitum tertium pedis sinistri emittit, digito quarto et quinto deficiente. In infima denique parte extremitatum coalitarum musculus parvus situs est, quem secundum ipsius originem et insertionem musculum extensorem digitorum communem brevem habemus. In hac quoque extremitatum facie laterali etiam tendines coalitos musculorum flexorum digitorum communium et hallucis utriusque cruris jam descriptos conspicias. Dispositio musculorum in femore dextro eadem est, quae in sinistro, attamen musculi cruris dextri sunt minores, quam in crure sinistro.

3) Extremitatum coalitarum superficies posterior in femorum regione duos musculos magnos offert, in mediis femoribus se tangentes, quos jam descripsimus et ex origine, fibrarum decursu et insertionem musculos vastos externos nominavimus. In media parte eorum infima duo musculi parvi apparent, qui a musculo vasto externo exeunt et capitulo fibulae unice inseruntur, quos musculos capitum longiorum utriusque musculi bicipitis partes esse inferiores judicamus. Musculi in posteriore crurum superficie existentes iidem sunt, quos in superficie laterali jam descripta exposuimus, neque quidquam notatu dignum offerunt.

Maxima pars utriusque musculi bicipitis deest, cum autem vastus externus solito major sit, dubitari non potest, quin musculus biceps cum eo coalitus sit, excepta parte inferiore capitis longi jam descripta. Uterque musculus semitendinosus et semimembranosus, popliteus, gastrocnemius, soleus, plantaris et plures musculi minores digitorum pedis plane desunt.

§. 5.

1) Arteriarum dispositio. Aorta ascendens, ejusdem arcus et aorta thoracica cum suis ramis, ad partes superiores corporis pertinentibus, naturae rationem obtinent. Arteriae phrenicae inferiores, arteria coeliaca et mesenterica superior, arteriae suprarenales et arteria lumbalis prima justo loco ex aorta abdominali oriuntur; arteriam lumbalem secundam vero arteria sacralis media emittit, quae a parte posteriore aortae abdominalis, ante ipsius in ramos duos inaequales divisionem (arteriae illiacae communes) originem ducit. Arteria iliaca communis dextra, major quam sinistra, in tres ramos est divisa; quorum primus, arteria hypogastrica s. iliaca interna, alter iliaca externa, tertius autem omnium maximus, arteria umbilicalis unica, secundum normam ad funiculum

umbilicalem adscendit. Arteria iliaca communis sinistra, umbilicali arteria carens, in duos ramos tantum divisa est. Utraque arteria iliaca interna emittit arteriam glutaeam, ischiadicam et pudendam communem, quae omnes in dextra parte, quam in sinistra majores sunt. Arteriae iliacae externae eo loco e cavo abdominali egrediuntur, quo ligamenta Poupartii, hic plane deficientia, esse solent. Emissis arteriis quibusdam inguinalibus, arteria cruralis dextra emittit arteriam profundam femoris, et tum denique in externa cruris parte ad extremitatem inferiorem descendit, cujus musculis plures ramulos praebet. Arteria femoralis vero sinistra, postquam arteriam profundam femoris emisit, ad faciem anteriorem cruris decurrit, et musculo adductore magno perforato, inter inferiora utriusque femoris extrema emergit; tum ad musculos coalitos flexorum digitorum communium et hallucis longi descendit, nonnullosque ramulos emittit, quorum ramificationem massa cerea non impletam, ob facilem partium mollium laesionem, persequi non potui.

Arteria mesenterica inferior, arteriae renales, spermaticae internae, sacrales laterales atque arteriarum lumbalium tertia et quarta omnino desunt.

2) Venae arterias comitantes nihil miri offerunt, excepta vena umbilicali, quae e funiculo umbilicali in cavum abdominale ingressa solito latior est.

§. 6.

In systematis nervorum dispositione majores abnormitates investigare non potui, nisi utrumque nervum ischiadicum, in media superficie anteriore ossis sacri sub angulo acuto, in unum amplissimum truncum confluentem. Qui truncus, ex apertura pelvis inferiore atque e margine musculorum glutaeorum maximorum inferiore egressus, per superficiem musculorum vastorum externorum, eo loco, quo se tangunt, ad musculos cruris decurrit, quos ubi a tergo penetravit, in eorum facie anteriore plures ramos emittit.

TABULARUM EXPLICATIO.

Hae tabulae infantis monstrosi partes magnitudine naturali exhibent.

TABULA I.

Superficiem infantis monstrosi anteriorem exhibet.

- a. Vena umbilicalis.
- b. Arteria umbilicalis.
- c. Extremitates inferiores coalitae.
- d. Pedes coaliti.
- e. Pedis dextri vestigia duorum digitorum.
- f. Trium digitorum vestigia pedis sinistri.
- g. Manus dextra digito medio ejusque osse metacarpo carens.

TABULA II.

Abdomine aperto organisque chylopoëticiis exemptis, decursum aortae abdominalis cum suis ramis, renes succenturiatos, testes et epididymides, atque extremitatum inferiorum musculos ab anteriore parte conspicuos offert.

- a. Vena cava inferior. s. ascendens.
- b. Oesophagus.
- c. Glandula suprarenalis s. renes succenturiati.
- d. Testis et epididymis.
- e. Gubernaculum Hunteri.
- f. Vas deferens.
- g. Facies plana in regione superiore utriusque acetabuli, quae facies cavitatis pelvis loco exstat.
- h. Foramen obturatorium.
- i. Nervus obturatorius.
- k. Musculus iliacus internus.
- l. " psoas major.
- m. " gracilis.
- n. " adductor longus.
- o. " pectinaeus.
- p. " sartorius.
- q. " rectus femoris sinistri lateris.
- r. " adductor magnus.
- s. Musculi flexores digitorum communes et hallucis longi coaliti.

- t. Eorum tendines in regione malleolorum diremti.
- u. Musculus tibialis posticus.
- v. Musculi coaliti adductorum hallucis.
1. Aorta abdominalis descendens.
2. Arteria coeliaca.
3. " mesenterica s. mesaraica superior.
4. " suprarenalis.
- 4¹. " lumbalis prima.
5. " sacra s. sacralis media.
- 5¹. " lumbalis secunda ex arteria sacra media oriens.
6. " iliaca communis.
7. " umbilicalis.
8. " hypogastrica s. iliaca interna.
9. " glutaea s. iliaca posterior.
10. " ischiadica s. glutaea inferior.
11. " pudenda communis s. interna.
12. " iliaca externa.
13. " femoralis.
14. " femoris profunda.
15. Arteriae femoralis sinistrae continuatio.
16. Vena umbilicalis.

TABULA III.

Fig. I. *Extremities inferiores coalitas a parte sinistra ostendit.*

1. Musculus glutaeus maximus.
2. " " medius.
3. " iliacus internus.
4. " tensor fasciae latae.
5. " sartorius.
6. " rectus femoris.
- 6¹. Tendo communis extensorius cruris.
7. Musculus vastus internus.
8. " " externus.
9. Patella.
- 9¹. Ligamentum patellae.
10. Tibia.
11. Musculus tibialis anticus.
12. " peronaeus longus et brevis coaliti et
- 12¹. Eorum tendines.
13. Musculus peronaeus tertius s. parvus.
14. " extensor digitorum communis longus.
15. " " hallucis longus.
16. Malleolus internus.
17. Musculus extensor digitorum communis brevis.
18. Tarsus.
19. Musculi flexores digitorum communes et hallucis utriusque cruris coaliti et
20. Eorum tendines diremti.
21. Integumentum pedum commune reflexum.

Fig. 2. *Ossa extremitatum inferiorum coalitarum a parte posteriore ostendit.*

- a. Vertebra lumborum quarta et quinta.
- b. Os sacrum.
- c. Facies externa ossis ilei.
- d. Apertura pelvis inferior retrorsum spectans.
- e. Caput femoris sinistri intra capsulam.
- f. " " dextri, capsula remota.
- g. Uterque trochanter major coalitus, pariter ut partes femorum superiores.
- h. Patella.
- i. Tibia.
- k. Utraque fibula in unicam coalita.
- l. Ossa astragali et calcanei coalita.
- m. n. o. Ossicula tarsi, quorum in dextro latere sex, in sinistro vero quinque exstant.
- p. Os metatarsi hallucis dextri.
- q. " " digiti secundi ejusdem lateris.
- r. " " hallucis sinistri.
- s. " " digiti secundi et
- t. " " " tertii sinistri lateris.
- u. Phalanges digitorum.

Fig. 3. *Ossa extremitatum inferiorum cum pelvi a parte anteriore ostendit.*

- a. Vertebra lumborum s. abdominis quarta et quinta.
- b. Facies anterior ossis sacri.
- c. " interna ossis ilei.
- d. Ossa pubis, quorum rami descendentes et rami ossium ischii ascendentes ita coaliti sunt, ut
- e. Cristam sive rostrum arcus pubis loco forment.
- f. Caput femoris dextri, capsula articulationis coxae remota.
- f^l. " " sinistri intra capsulam suam.
- g. Uterque trochanter coalitus et superiores femoris partes.
- h. Condylus internus femoris.
- i. Patella.
- k. Superficies tibiaram interna antrorsum conversa.
- l. Unica fibula coalita.
- m. Ossa navicularia calcaneo et astragalo coalito adhaerentia.
- o. p. Ossa calcanei et astragali coalita.
- n. q. Ossicula tarsi, quorum in dextro latere quinque exstant, in sinistro vero sex.
- r. Os metacarpi hallucis sinistri.
- s. " " digiti secundi et
- t. " " " tertii pedis sinistri.
- u. " " hallucis dextri.
- v. " " digiti secundi pedis dextri.
- w. Phalanges digitorum.

Fig. 4. *Faciem posteriorem ventriculi solito minoris exhibet.*

Fig. 5. *Diverticulum intestini tenuis ostendit.*

Fig. 6. *Saccum coecum, qui finis intestini coli format atque omnis tractus canalis intestinalis, exhibet.*